

SECTIO V.

De Scriptoribus Græcis ad
Philologiæ studium pertinenti-
bus.

CAP. I.

De Poëtis Græcis.

§. I.

CVM ad Philologiæ studium vel ma-
xime pertineat, scriptores Græcos,
utpote omnium fere artium & scientia-
rum, si non inventores, doctores ta-
men eximios nosse; studiosæ juventuti
non ingrati rem facturum existi-
mavi, si hic quasi eorum, qui celebri-
ores sunt, indicem exhiberem. Satis e-
nim constat, adolescentes, quibus curta
suppellex litteraria est, sæpe Græcos
autores, unde Latini sapientiam suam
primum hauserunt, ignorare. Itaque
illos, & quidem præcipuos, in eorum
gratiam, in *quinque* velut *classes* dispe-
scam:

scam: ut quisque pro studiorum scopo, inde petere, quæ illi inserviunt forte, queat.

§. 2.

Sint ergo pro diverso eorum genere, quinque classes: *Prima* est Poëtarum: *Secunda* Historicorum: *Tertia* Oratorum: *Quarta* Philosophorum: *Quinta* Theologorum Græcorum inter Christianos maxime celeberrimum. Cum autem aliquos omiserim, eruditi & cordati lectores meminerint, me hic non perfectam bibliothecam concinnare voluisse.

§. 3.

Ad *primam* igitur *classem* referimus *Poëtas*; quippe qui inter Græcos antiquissimi sapientiæ magistri habiti sunt, historiam antiquam cum philosophia fabulis involventes: ut juvenus illorum suavitate aut numerorum jucunditate allecta, magis sapientiæ studium sectaretur. Hos secundum diversa carminis genera iterum in *Heroicos*,

H 2 Tragi-

Tragicos, Comicos, Lyricos & Epigrammatarios distingvemus.

S. 4.

Heroici carminis Poëtæ, qui extant, viginti numerantur. *Homerus, Hesiodus, Orpheus, Callimachus, Aratus, Nicander, Theocritus, Moschus, Bion, Dionysius, Coluthus, Tryphiodorus, Musæus, Theognis, Phocylides, Pythagoras*, qui autor carminum aureorum habetur, *Apollonius, Rhodius, Oppianus, Cointus Smyrneus, & Nonnus*. Hos, si Nonnum excipias, gentiles omnes, uno volumine comprehensos, *Jacobus Lectius Aureliæ Allobrogum* anno 1606, edidit.

S. 5.

Tragici Poëtæ, juxta *Diomedem*, libr. 3. a τῶν ὀδῶν & ὀδῶν sic appellati, tres celebrantur, qui Oratione gravi metrica, exitum infelicem illustris fortunæ descripserunt; ut *Sophocles, Euripides, & Æschylus*, principes scilicet *Tragœdiæ veteris*. *Sophocles* cum Scho-

Scholiaste Græco Francof. 1555. *Euripides* cum Scholiaste Græco Brodæi Steph. 1602. *Æschylus* cum Scholiaste Græco Petri Victorii 1557. impressi fuerunt.

§. 6.

Inter *Comicos*, qui supersunt, *Aristophanes*, Poëta Ἀριστοφάνης excellit. Prodiit cum Scholiaste Græco Basileæ, 1547. Huic a nonnullis jungitur *Ezekielis*, Poëta ut videtur Christianus, qui Hebræorum ἐξαιγυπτῶν seu eductionem ex Ægypto, carmine complexus est comicis usitato. Sed hoc integrum non amplius habemus. *Lyrici* vero carminis autores multi adhuc extant: ut *Pindarus*, *Alceus*, *Sappho*, *Stesichorus*, *Ibycus*, *Aracreon*, *Bacchylides*, *Simonides*, *Alcman*, *Archilochus*, *Melanippides*, *Telestes*, *Pratinus*, *Erinna Lesbia*, *Alpheus Mitylæus*, *Julianus Ægyptius*, *Theocritus* & *Lycophron*. v. H. Stephani librum, quo *Lyricos* præcipuos complectitur, Parisiis anno 1600. editum,

tum, & volumen *Poëtarum Græcorum veterum tom. II.* Colonix Allobrogum anno 1614. typis *Petri de la Roniere* exscriptum. *Athenaus* quidem in libris *Dipnosophistarum*, *Suidas* in *Lexico*, & *Vossius* in libro de *Poëtis Græcis*, plures allegant; sed quia eorum libri aut carmina integra non supersunt amplius, nolo eorum nomina hic recensere. *Fulvius Ursinus Romanus* Antverpiæ anno 1568. carmina novem illustrium *Fœminarum Græcarum* edidit, ut *Sapphus*, *Erinna*, *Myris*, *Myrtidis*, *Corinna*, *Telefille*, *Praxilla*, *Nossidis* & *Anyta*. Quæ carminum mixti generis tantum fragmenta sunt.

§. 7.

Epigrammatum Græcorum scriptores varii, & pæne multi sunt. Quos *Heinricus Stephanus* cum annotationibus uno opere, certe erudito, & propter varietatem svavissimo complexus est. Vocatur a quibusdam *Anthologia Græca*: quia instar horti cujusdam, diversis,

diversis, pulcherrimis suavissimisqve
exornatum est floribus. Prodiit Fran-
cofurti ex officina *Wechelii*, anno 1600.
confer citatum tom. II. Poëtar. Græc.
fol. 494. seqq.

§. 8.

Gentilibus Poëtis Græcis subjungi-
mus *Christianos* celebriores, non mi-
nus ob elegantiam, quam pietatem
æstimandos atqve legendos. Tales
sunt *Nonnus* in *Metaphrasi* in *Johan-*
nem, *Apollinaris* in *Metaphrasi* *Psal-*
morum, *Synesius* in *Hymnis*, *Gregorius*
Nazianzenus in carminibus sacris, *Am-*
philochius in carmine Jambico ad *Se-*
leucum, (*quoniam scripturæ libri sint le-*
gendi,) a nobis seorsim edito; *Job.*
Damasceus in hymnis variis; *Phile,*
de Animalium proprietate; *Georgius*
Pisides de Mundi opificio. *Job. Tzei-*
zes, in libro variarum historiarum ver-
sibus politicis constante; *Clemens Ale-*
xandrinus in hymno in Christum *Serva-*
torem; *Simcon Metaphrastes* in Jambi-

cis trimetris. *Cyrus Theodorus* in Epigrammatibus, quibus omnia utriusque Testamenti capita felicissime comprehendit; & alii, quorum ætatem & Scripta *Vossius* libro jam allegato, & qui hunc secutus est, *Gallus, Dominus de le Ferre*, in libello Gallico de vitis poetarum Græcorum, Lutetiæ Parisiorum anno 1665. publicato, recensuerunt.

CAP. II.

De Historicis Græcis.

§. 1.

Magnus est Græcorum historicorum numerus, quem apud *Gerb. Job. Vossium*, eorum vitas & libros recensentem, legas. Nos præcipuos tantum allegabimus, qui ob culturam Græcæ lingvæ & comparandam rerum civilium & ecclesiasticarum peritiam, evolvi præcipue merentur.

§. 2.

Primus & antiquissimus, qui hodie extant,